DISC. XV.
Romana pecuniaria, seù relevationis.
De administratore sacræ ædis, vel publici banci, ad quid teneatur erga ipsam ædem, vel bancum administratum; Et de aliis ad materiam administratorum, eorumque obligationibus.

DISC. XVI.
Pisana, seù Viterbien. ferraccii.
De procuratore, seù mandatario ad negotia, de qua culpa teneatur erga mandantem; Et è converso ad quid teneatur mandans mandatario; Et cujus sit periculum pecuniarum, & bonorum mandantis, existentium penès mandatarium ex eorum furto.

DISC. XVII.
Romana redditionis rationum.
De socio administratore negotii socialis, ad quid teneatur; Et quando rationes per eum dicantur benè redditæ, necnè, Et an redditio fieri possit etiam sine libris, istorumque omissio quid causet; Et de conclusione, quod administrator ante redditas rationes non dicatur debitor, vel creditor, quomodo procedat.

DISC. XVIII.
Urbinaten. salarii.
An, & quando administrator, vel institor negotii, obtinere debeat salarium, quamvis servitium non præstiterit, ubi per ipsum non steterit; Et quid ubi contigerit à casu citrà culpam ejus, cujus bona administranda erant; Et de aliis ad salarii materiam pertinentibus.

DISC. XIX.
Romana pecuniaria.
An facultas substinendi data procuratori ad lites, & negotia, intelligenda veniat generaliter, ac indefinitè ad utrumque, vel potiùs ad lites tantùm, ubi in eodem capitulo, in quo agitur de litibus, vel immediatè posteà facultas attributa sit; Et de differentia inter mandatum ad lites, alterum ad negotia.

DISC. XX.
Romana œconomiæ.
An concessio, ac respectivè susceptio Æconomiæ, seù administrationis, importet mandatum, quod sit quandocumque revocabile, vel potius irrevocabilem contractum locationis, & conductionis operarum; Et an conventa merx minuenda sit ob diminutionem administrationis.

EX SUPPLEMENTO.

DISC. XXI.
Romana Tutelæ, & Educationis.
An, & quando tàm tutela, quàm educatio pupillorum potius patruo, quam matri decerni debeat ad eandem materiam, de qua suprà *disc.* 1.

DISC. XXII.
Pisana Administrationis.
De eadem materia, de qua suprà *disc.* 15. An scilicet, & quando administratores piorum locorum teneantur de proprio, & de eorum fidejussoribus.

INDEX CAUSARUM

Hoc titulo de Tutoribus, Curatoribus, Procuratoribus, & Administratoribus, ordine alphabetico per ordine dispositos.

A

Anconitana tutelæ, disc. 2.

B

Bononien. redditionis rationum, discurs. 9.

C

Camerinen. redditionis rationis, discurs. 8.

I

Januen. salviani, disc. 10.
Imolen. tutelæ, disc. 4.

L

Licien. administrationis, disc. 7.

P

Pisana Administrationis, disc. 22.
Pisana, seù Viterbien. ferraccii, disc. 16.
Pistorien. cessionis, disc. 12.

R

Romana administrationis, disc. 14.
Oeconomiæ, disc. 20.
Eadem locorum montium, disc. 13.
Tutelæ & Educationis, disc. 21.
Eadem, seù Marsicana tutelæ, disc. 3.
Eadem pecuniaria, seù revelationis, disc. 15.
Eadem pecuniaria, disc. 5.
Eadem redditionis rationum, discur. 17.

S

Spoletana tutelæ, disc. 1.
Eadem tutelæ, disc. 6.

V

Urbinaten. salarii, disc. 18.
Eadem tutelæ, disc. 11.

JO:

JO: BAPTISTÆ CARD. DE LUCA

Libri Septimi Pars Prima, DE DONATIONIBUS.

ROMANA DONATIONIS DE JORDANIS PRO CREDITORIBUS GASPARIS, CUM EJUSDEM FILIABUS.

Casus decisus per Rotam pro Filiabus.

An & quando in donatione contemplatione matrimonii filii veniant uti filii in exclusionem creditorum sponsi donatarii; & de duplici jure vel interesse primario, & secundario Uxoris, & Filiorum in hujusmodi donatione.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Decisiones causæ.*
3 *De inspectionibus seu punctis disputatis.*
4 *Regula est; ut in donationibus contemplatione matrimonii filii non veniant ut filii.*
5 *Referuntur tenentes contrarium pro vocatione.*
6 *Sed reprobantur ex communi sensu.*
7 *Tenentes contrarium loquuntur, ubi filii sunt directè vocati.*
8 *Sive percutiunt filiorum interesse secundarium.*
9 *Donationes contemplatione matrimonii dicuntur pars contractus naturalis, & correspectivæ.*
10 *De argumento ducto à dote ad quam filii non sunt vocati.*
11 *De distinctione, quando filiorum fit mentio, an sint vocati à donatore, vel à donatario.*
12 *Pater stipulando pro filiis censetur stipulari pro eis tanquam hæredibus.*
13 *De inverisimilitudine, quod quis bona libera vinculare voluerit.*
14 *De acquirente feudum pro se & filiis, & de facultate disponendi, quam habet primus acquirens.*
15 *Quandoque in decisionibus extensor non percipit sensum Tribunalis.*
16 *De adminiculis super inclusione, vel exclusione vocationis filiorum remissivè.*
17 *Quæ adminicula debeant magis attendi, & quomodo hæc materia reguletur.*
18 *Est potiùs deferendum capitulis, quam instrumento.*
19 *Habens pro se regulam dicitur habere intentionem fundatam.*
20 *Et habenti intentionem fundatam sufficit offuscare probationes alterius.*
21 *In dubio est respondendum pro exclusione fideicommissi, & ad favorem foventis causam onerosam.*
22 *Obligatio Cameralis ad quæ trahatur.*

DISC. I.

Contemplatione matrimonii inter Gasparem & Annam, Guido pater sponsi, huic acceptanti & stipulanti pro se & filiis nascituris, donationem fecit scutorum 22. mil. post ejus mortem effectum sortituram, cum declaratione, ut sub ea comprehensum esset quicquid donatarius prætendere posset pro dote materna, ac pro legitima, & pro servitio præstito in fundaco mercium, in quo totus dicti donatori s assis consistebat; Cumque postmodum aliquæ discordiæ exortæ essent, hinc per concordiam Guido assignavit Gaspari dictum fundacum valoris scutorum 28. mil. ex quibus dicta rata 22. mil. in causam donationis cessit, residuum verò in causam æris alieni acollati; Sequuta verò ad breve tempus morte patris, qui hæredem etiam filium instituit; Cum hic ære alieno pressus fugam arripuisset, formatus fuit concursus creditorum super ejus asse consistente in mercibus dicti fundaci, ac in supellectilibus domus, in quo concursu, filiæ ex dicto matrimonio procreatæ, tanquam in dicta donatione comprehensæ, atque ad eam vocatæ prætendebant pro dicta summa excludere creditores, qui omnes donationi posteriores erant, atque ad earum favorem prodiit sententia A. C. à qua per appellationem introducta causa in Rota *coram Meltio, sub die* 14. *Maji* 1657. ad earumdem filiarum favorem pariter responsum fuit, ut patet ex decisione desuper edita impressa *par.* 12. *recent. decis.* 229. & apud Censal. *in l. unica Cod. si quis Imperatori maledixerit post §.* 22. *fol.* 174. dictaque resolutio confirmata *sub die* 22. *Martii* 1662. & 11. *Februarii* 1664. *coram Priolo*, habitis etiam coram eisdem *Meltio*, & *Priolo*, ac etiam *coram Bourlemont*, disputationibus super puncto alimentorum lite pendente dictis filiis præstandorum, de quo habetur actum *sub tit. de fideicomm. disc.* 171.

In his autem disputationibus quatuor fuerunt puncti: Primò scilicèt, an in hujusmodi donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii factis, venirent filii uti filii jure impliciti fideicommissi in genere; Secundò quatenus generaliter seu regulariter non venirent, quid stante acceptatione ac stipulatione etiam pro illis, quæ in hac facti specie concurrebant; Tertiò posito quod hæc stipulatio sola & de per se non sufficeret, an adessent sufficientia adminicula dictam vocationem suadentia; Et quartò, posita dicta vocatione, super prælatione & concursu cum creditoribus sponsi donatarii.

Quatenus igitur pertinet ad primum, quamvis in prima decisione *coram Meltio* plures propositiones filiis favorabiles (fortè citrà Rotæ sensum) & cum aliqua confusione in-

culcentur attamen in subsequentibus disputationibus *cor. Priolo*, eis neglectis, verior magisque recepta canonizata est opinio negativa, firmata etiam in pluribus decisionibus editis *in Urbinaten. pecuniaria*, de qua infrà *disc. sequ.* & in aliis pluries, quod scilicèt in hujusmodi donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii factis, filii non censeantur vocati uti filii, sed omnium acquiratur soli sponso donatario, cui tanquam hæredes filii superstites succedere debeant, cum nullibi in jure id cautum sit, neque per DD. dicatur; Quamvis enim Anellus de Amato *cons.* 68 Castill. *dec.* 106. per eadem præcisa verba repetita apud Mastrill. *dec.* 301. Barb. *voto* 14. & Cutell. *de donat. contemplatione matrimonii tract.* 2. *disc.* 1. *speciali* 25. *n.* 12. *cum seqq.* id affirmare videantur; Attamen ex magis communi, ac recepto sensu DD. rejiciuntur, utpotè manifesto æquivoco laborantes, ut patet ex auctoritatibus deductis in posterioribus hujus causæ decisionibus, & in aliis editis *in d. Urbinaten.* & planè congerit de Marin. *resol.* 79. *lib.* 1. & *resol.* 68. *lib.* 2. qui in secunda impressione Lugdunensi, scribendo super hac individuali causa pro creditoribus *d. resol.* 89. proprios, ac aliorum scribentium labores reassumpsit. Atque ergo in ista causa, (stylo tamen ac genio nimium adversantibus,) cum eo improbo Juristarum labore, qui apud me contemptibilis, apud vulgus in magna existimatione haberi solet, integrum cathalogum efformavi omnium DD. de hac materia agentium, quorum antiquior fortè videtur Decius *cons.* 215. *seu* 216. à quo cæteri derivant, ad hanc speciem descendentes, atque ità ostendebam, quod exceptis *Anello de Amatis*, & *Castill.* (cum quo computandus tanquam unus & idem venit *Mastrill.*) & *Cutell.* qui cum dicta decisione procedit; Cæteri omnes regulam contrariam statuunt vel supponunt, solùm limitantes; Vel ubi verba donationis directam filiorum vocationem quoque importarent; Vel ubi talis voluntatis probationes, seù conjecturæ, & adminicula concurrerent; Vel demum, ubi ageretur de jure ac interesse filiorum secundario, propter quod retrodonationes, vel alienationes prohibitæ sunt juxta ea, quæ habentur infra *in d. Urbinaten. disc. seqq.* & *in aliis duobus proximè sequentibus*, ubi de materia hujus juris vel interesse secundarii.

Quamvis enim juxta plenè allegata in dicta prima hujus causæ decisione *coram Meltio dec.* 229. *par.* 12. *recent.* hujusmodi donationes factæ contemplatione certi, ac determinati matrimonii, dicantur pars contractus matrimonialis, qui aliàs, vel nullatenus, vel non cum tanta dote initus esset, illaque potius procurata videatur per sponsam ejusque parentes, vel conjunctos pro pinguiori ac decentiori ipsius sponsæ & filiorum substentatione, ac etiam successione; Attamen hæc omnia percutiunt jus vel interesse secundarium decentioris supportationis onerum matrimonii isto durante non autem ipsorum bonorum dominium, ac pertinentiam, ducto argumento benè ponderato per Rotam *in Romana fideicommissi de Incoronatis cor. Pirovano dec.* 203. *p.* 8. *rec.* & in aliis, à dote, quæ mulieri pro certo ac determinato matrimonio constituitur viro, sine illa aliàs matrimonium non contracturo, ac principaliter respicienti ad ejusdem matrimonii decentiorem supportationem onerum, ac speratam filiorum successionem, & tamen extra controversiam est, filios, (excepto casu consuetudinis *Martini*, vel Statutorum particularium) non succedere in dote tanquam filios, sed tanquam hæredes matris, ut pluries in sua materia *sub tit. de dote*. Et tamen casus est fortior, quoniam licèt possint, attamen de communi usu non solent contrahi matrimonia sine dote, cujus fructus principaliter ac propriè supportationi onerum matrimonialium destinati sunt. Istæ autem donationes non sunt ita frequentes, & connaturales, sed ex quadam cautela procurari solent, ideoque manifestæ fabulæ species videtur, ut in hujusmodi donatione majus jus filii habere debeant quàm in dote, adeout articulus generaliter ac abstractè in puncto juris, cessante diversa expressa, vel conjecturali voluntate, disputatione indignus videatur.

Quo verò ad secundum punctum particularem acceptationis, ac stipulationis factæ per sponsum donatarium pro se & filiis nascituris; Quicquid involvant Castill. seu Mastrill. & Cutell. suprà allegati, & Barb. *voto* 14. ac alii aliqualiter tamen indigestè cumulati in dicta prima hujus causæ decisione *coram Meltio*; Attamen, tam in hujus causæ posterioribus decisionibus *coram Priolo*, quàm clariùs in aliis editis *in dicta Urbinaten.* impressis post Paitellum *dec.* 42. & *seq.* tanquam vera, benèque fundata canonizatur distinctio, de qua apud Surd. *dec.* 322. *cum concordantibus* per Annichin. *in allegat. registratis* apud Ricc. *collectan.* 3948. Dexart. *dec.* 7. & de Marin. *d. resol.* 89. *lib.* 1. *juxta secundam impressionem Lugdunen.* quod, Aut agitur de directa filiorum vocatione facta per donatorem sponso ac filiis nascituris, qui non ex voluntate, ac providentia eorum patris, sed directè ab ipso donatore vocentur, & tunc rectè censeantur vocati jure fideicommissi, vel substitutionis juxta casus recensitos *sub tit. de fideicommissis disc.* 138. *cum seqq.*

Aut verò veniunt ex providentia ipsius sponsi donatarii eorum patris acceptantis ac stipulantis pro se & filiis, & tùc secùs ex magistrali, & recepta theor. glos. & Bartoli *in l. si tibi* §. *pactus ne peteret ff. de pactis*, ut patre stipulante pro se & filiis, stipulari censeatur pro eis tàquam hæredibus, ejusque successoribus, ideoque filii bona donata obtinere dicantur, potius ex providentia ipsius patris, & successivè totum remanet in terminis peculii profectitii.

Clarius verò in hac facti specie, quod donatio non proveniebat ex mera liberalitate ac benevolentia donatoris, quo casu plerique distinguendo, inter extraneum, ac ascendentem ponderare solent affectionem avi erga futuros nepotes, ut plenè deducitur in dicta prima hujus causæ decisione *coram Meltio dec.* 229. *p.* 12. *rec.* sed admixtam habebat causam onerosam, cum in ea comprehensa essent ipsius donatarii jura & bona propria ratione legitimæ, ad dotium maternarum, ac mercedis sibi debitæ pro servitio præstito in fundaco, unde propterea magis de plano intrat dicta conclusio, ut filii ex bonis & providentia patris donatarii magis quàm donatoris obtinere dicantur, juxta communem ac receptam feudistarum distinctionem in concessione feudali facta patri & filiis, de qua *sub tit. de feudis disc.* 75.

Sive juxta alteram hodiè pariter receptam ac absolutam conclusionem, de qua pluries *sub tit. de emphyteusi disc.* 10. & 32. & *pluries*, ac etiam *sub d. tit. de feudis disc.* 12. & alibi, ut primus acquirens ex causa onerosa & correspectiva, disponendi facultatem habeat, sive filiis ac descendentibus aliàs præjudicandi, eosque gravandi, quamvis investitura esset in forma pacti & providentia, cum tunc filii & descendentes, non à providentia concedentis, sed ab illa acquirentis obtinere dicantur; Ideoque iste secundus punctus pariter pro creditoribus planus videbatur, ut ipsa Rota in posterioribus disputationibus agnovit, ac revera etiam in prima eumdem sensum habuit in decisione non benè explicatum, ut quandoque contingere patet ex pluribus decisionibus.

Diversarum autem resolutionum fundamentum, fuit diversa ipsarum partium voluntas ex parte filiorum probata, nedum per plura adminicula in eisdem decisionibus ponderata, & reassumpta apud Marin. *d. resol.* 89 *juxta secundam impressionem Lugdunensem*, sed etiam per aliquos testes mediatores de eadem voluntate deponentes, undè propterea quamvis ob extrajudiciales notitias, mihi scribenti pro creditoribus, ad solam veritatem reflectendo, videretur quod dictis testibus nullatenus deferendum esset, attamen quia in judicis arbitrio repositum est dignoscere, quanta fides testibus adhibenda sit, juxta bonum textum *in l.* 3. *ff. de testibus*, hinc proindè non de facili judicium super injustitia, vel gravamine formari potest in arbitrariis.

Secluso autem dicto testium; Quatenùs pertinet ad conjecturas & adminicula hinc inde confluentia plenè, ac diligenter reassumpta per Marin. *d. resol.* 99. *lib.* 1. *juxta d. secundam impressionem Lugdun.* Licèt juxtà regularem naturam quæstionum voluntatis tacitæ, seù adminiculativæ, certa determinatio dari non valeat, cum hæc pendeat ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis, attamen in hac facti specie, ex ejus qualitate, mihi ad veritatem etiam reflectenti, longè urgentiora videbantur adminicula huic parti assistentia in exclusionem vocationis filiorum utpotè resultantia à factis ipsarum partium, ac à magna verisimilitudine, cùm è conversò adminicula pro vocatione ponderata, omnia deducantur ex verbis & clausulis instrumenti, quæ per Notarium absque eo quod partes advertant juxta ejus formularium concipi potuerùt. Potissimè ob duplicem circumstantiam; Primò scilicèt quòd in capitulis matrimonialibus filiorum mentio non haberetur, ideoque intrat conclusio, de qua plenè *sub tit. de emphiteusi disc.* 14. & sub altero *de fideicom. disc.* 179. & alibi pluries, ut capitulis potiùs quàm instrumento deferri debeat, quoniam illa continent verba, ac substantiam voluntatis partium, instrumentum verò continet verba Notarii; Et secundo ob omnimodam nimiumque claram inverisimilitudinem, quod Gaspar donatarius, juvenis generosæ, ac profusæ naturæ, propriam dotem maternam, propriamque legitimam, ac alia jura

jura, ita, favore filiorum fideicommisso vinculare voluerit, quod neque de obolo disponendi libertatem habet, Et è converso omnino inverisimile videbatur, ut Guido donator vir tenax, ac prudens & industrius jam expertus dictam filii & nurus profusam naturam, ac splendidum animum, (undè discordiæ originatæ fuerunt,) per subsequutam concordiam ita libere dictam summam donatam primo donatario assignare voluerit in mercibus fundacariis ad dies dissipabilibus absque spe recuperationis, sed potiùs sollicitus fuisset de investimento in bona stabilia, & loca montium, si tale fideicommissum in animo habuisset.

Et nihilom nus observabam opus non esse, quod conjecturæ & adminicula pro vocationis filiorum exclusione preponderarent, sed sufficere; quod illa debilitarent, vel offuscarent contraria adminicula, ne inducerent concludentem probationem limitationis, qua sublata, firma remanet intentio habentis pro se regulam, juxta *decis.* 251. Mant. *n.* 4. cum aliis, præsertim *sub tit. de dote disc.* 24. & frequentius *sub tit. de fideic.* ac alibi, unde prodiit conclusio sæpius enunciata, de qua apud Surd. *cons.* 505. *nu.* 6. Merlin. *dec.* 597. *n.* 34. *dec.* 158. *p.* 10. *rec. n.* 3. & *frequenter*, ut habenti intentionem jam fundatam, offuscare sufficiat, ac dubiam reddere probationem, ejus qui contrarium velit vel asserat; Unde propterea quando testium dicta de medio tolli debuissent, ut probabilius credebam, quatenus pertinet ad alia adminicula, resolutiones non placebant; Potissimè quia in dubio dicebam pro creditoribus potius respondendum esse ex duplici axiomate, Primo scilicet, quod in dubio de fideicommissi exclusione respondendum est, ut pluries in sua materia *sub tit. de fideicommissis*; Et secundò, quia cum creditores foverent causam onerosam, filii verò lucrativam, idcircò pro illis potiùs, quàm pro istis in dubio respondendum erat.

Quartus demum, ac ultimus punctus prælationis, vel concursus inter dictos filios jure fideicommissi, ut supra per donationem vocatos, & creditores dicti primi donatarii gravati facti potius quàm juris erat, ac scilicèt obligatio cameralis sub se continens hypothecam, traheretur necne ac dicti primi donatarii obligationem restituendi ejus filiis summam donatam, cum tunc ipsi traherent hypothecam ex tempore instrumenti, ac successivè aliis creditoribus anteriores essent, super quo processum fuit cum generalitate, ut obligatio cameralis operetur circa omnia in instrumento contenta, vel enunciata, ex plenè deductis in his terminis *dec.* 40. *p.* 9. *rec.* repetit. *dec.* 189. post Zacch. *de obligat.* ubi rejicitur contraria opinio Gerii Spini *cons.* 54. *n.* 18. & *seqq.* & Giovagn. *cons.* 34. *nu.* 43. & *seqq. lib.* 2. Super quo tamen puncto utpotè facti & interpretationis instrumenti, magis quàm juris, pariter non de facili resolutio de injustitia convinci potest, & de quo agitur pluries in sua materia *sub tit. de contract.* & *alienat.* ac etiam *sub tit. de credito* & *alibi*.

ANNOT. AD DISC. I.

De articulo, de quo in hoc discursu principaliter agitur, an scilicèt in donationibus, quæ fiant contemplatione certi, ac determinati matrimonii, filii ex eo procreati censeantur vocati ex persona propria ex quodam jure impliciti fideicommissi, vel potius bona donata acquirantur sponso donatario, cujus jure hæreditario filii in eis succedant, alia non adfuit occasio post hujus libri impresionem disputare, fortè quia acerrimæ disputationes habitæ in ista causa, & in altera, de qua *disc. sequenti*, adeò materiam dilucidaverint, ut non de facili assumatur hujus quæstionis disputatio, ac etiam quia nunc solent contrahentes id in ipsa donatione explicare, ut prudens consilium est fieri; Verè tamen ut in discursu advertitur ista non est quæstio juris, sed potiùs facti, & voluntatis, ideoque manifestus error est, omnibus penè aliis materiis forensibus communis, assumere istam quæstionem in abstracto, atque cum solito improbo labore certare quænam opinio sit magis communis, totam vim constituendo in scriptorum numero arithmetico, quo nihil ineptius, ideoque ad singulorum casuum circumstantias reflectendum est, ex quibus ad unam vel alteram inferendum est voluntatem, non autem se involvendum in hujusmodi inanibus quæstionibus, quarum sumptus absorbere, imò quandoque superare solent valorem bonorum de quibus agitur, ut sequutum est in præsenti causa, quæ cum aliquibus creditoribus fuit concordata, & ab aliis ob nimiâ defatigationem derelicta; Refert autem inspicere, quænam sit regula juris, ut non constito de diversa voluntate, quæ suadeat limitationem, judicandum sit cum regula, quę excludit onus fideicommissi. De puncto autem concursus inter creditores anteriores ex causa lucrativa, & posteriores ex causa onerosa agitur *lib. seq. de Credito disc.* 31.

URBINATEN. PECUNIARIA PRO BENEDICTO CUM MARGHERITA ET LAVINIA DE VETERANIS.

Casus variè decisus per Rotam.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, an acquiratur filiis ut filiis. Et quatenus non, an remitti, vel minui possit à sponso donatario in præjudicium uxoris, & filiorum: & quid ubi fiat per viam transactionis, quando hęc teneat: Et incidenter de concessione veniæ ætatis, an per inferiorem Principe fieri valeat.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Resolutiones causæ.*
3 *De punctis, sive inspectionibus.*
4 *De regula, ut in donatione contemplatione matrimonii filii non censeantur vocati, & quando secus.*
5 *De invalida hujus donationis retrodonatione, vel diminutione.*
6 *Dicitur pars contractus matrimonialis, & correspectiva.*
7 *De ratione cui innixa est conclusio, de qua n.* 5.
8 *An vir promittens, quod uxor renunciabit excusetur cum diligentiis.*
9 *De eadem conclusione, de qua n.* 5. & 7.
10 *Donatio facta promovendo ad ordines ad titulum patrimonii non potest retrocedi.*
11 *Quando procedat dicta conclusio, de qua n.* 5. & 7. *quod non benè applicentur ad casum.*
12 *Bona ita donata possunt circà fraudem, & collusionem alienari, vel obligari.*
13 *Atque si de eis potest disponi, ita possunt retrocedi cessante fraude.*
14 *De donatione ad ordines, de qua num.* 10. *ut possit retrocedi.*
15 *Fortius ubi retrocessio est ex justa causa, & correspectiva.*
16 *Interesse secundarium uxoris, & filiorum durat constante matrimonio.*
17 *De interesse uxoris etiam post matrimonium ob speratam successionem filiorum.*
18 *Hoc interesse attenditur, & est considerabile quando filii sunt vocati.*
19 *Secus ubi succedunt tanquam hæredes patris retrodonantis.*
20 *De controversia inter* Rovit. & Merlin. *quos terminos percutiat.*
21 *Concessio veniæ est de Regalibus, & competit soli Principi.*
22 *Vicelegatus absente Legato habet potestatem Legati.*
23 *De potestate Legati.*
24 *Substinentur gesta per Magistratum solitum publicè gerere actum.*
25 *In specie circa veniam ætatis.*
26 *De distinctione inter veniam generalem, & specialem.*
27 *De decreti Ducalibus Urbini an sint in usu.*
28 *An in donatione contemplatione matrimonii requirantur solemnitates prius erat in quæstione.*
29 *Rota & Tribunalia solent mutare opiniones.*
30 *Quando retenta opinione negativa in quæstione, de qua num.* 28. *adhuc limitetur.*
31 *Quid in specie decretorum Ducalium Urbini.*
32 *Pro substinenda transactione sufficit qualis dubietas, & opinio unius Doctoris.*
33 *De resolutione donationis contemplatione matrimonii isto soluto remissvè.*
34 *De recompensa necessaria hinc indè in transactione.*
35 *De circumstantiis reddentibus justam, & validam transactionem.*
36 *Ubi transactio impugnatur non potest aliud prætendi nisi id quod competebat ex prioribus juribus.*

DISC. II.

1 IN apoca dotali inita super matrimonio contrahendo inter Lælium Veteranum, & Octaviam Justam, Franciscus Lælii pater, tam huic quàm Octaviæ sponsæ promisit, quod post ejus mortem habebit de ejus bonis scut. 13. m. in tot stabilibus, ejusque vita durante, pro congrua substentatione, promisit annua scuta 350. Cumque ad aliquod tempus graves discordiæ inter patrem & filium exortæ essent, unde propterea pater dictam donationem, seu promissionem annullare intendebat, hinc ex interpositione, ac auctoritate Prolegati, qui ob Legati absentiam, istius partes etiam explebat, deventum est ad concordiam, per quam pater, ultra receptam dotem, quam restituit, ex tunc loco dictæ promissionis solvit scut. 8. mil. in tot locis montium, & 1000. solvi promissa fuerunt post ejus mortem.

Sequuto autem utriusque obitu, Margherita, & Lavinia filiæ ex dicto matrimonio superstites, contra Benedictum alterum dicti Francisci filium, ac hæredem, judicium instituerunt coram A. C. pro solutione reliquorum scutor. 5000. usque ad complementum primæ promissionis, obtentoque mandato executivo, & commissa per Signaturam causa in Rota *cor. Verospio*, cum clausula translativa, *si quid exequendum*, super dubio ex rescripti ventre resultante, an mandatum esset exequendum, *sub die* 11. *Febr.* 1658. ne-
2 gativa prodiit resolutio, à qua recessum fuit sub diebus 10. *Dec.* 1659. & 5. *Martii* 1660. *coram eodem*, postmodum verò ab istis recedendo, prima resolutio ad favorem Benedicti firmata fuit sub diebus 24. *Januarii*, & 2. *Junii* 1661. sed concessa iterum audientia, recedendo ab his posterioribus resolutionibus, denuò ad favorem actricum responsum fuit sub diebus 24. *Januar.* 1663. & 16. *Martii* 1665. *cor. eod. Verospio*, & 13. *Junii* 1668. *cor. Vicecomite subrogato*, concessaque expeditione mandati, adita fuit Signatura, quæ denuò rescripsit cum clausula translativa *alteri*, *qui ad legitimam*, quod aditum præbuit concordiæ, per quam controversia finem habuit, dictæque decisiones, excepta ultima *coram Vicecomite*, habentur impressæ post Paitell. *in expedit. seu dec. Urbini dec.* 42. *cum pluribus seqq.*

Hujusmodi autem diversarum resolutionum varia fuerunt fundamenta, juxtà diversorum punctorum, seu motivorum qualitatem, atque ultra concernentia ordinem judicii, & præsertim an transactio vulnerasset viam exequutivam competentem in vim obligationis cameralis contentæ in dicta apoca, de quo in sua materia *sub titulo de judicis*, & *praxi Curiæ*.

Quatenus pertinet ad merita super dictæ concordiæ validitate, vel invaliditate, tres fuerunt puncti sive inspectio-
3 nes; Primò scilicèt, an ad hanc donationem contemplationem matrimonii vocati censerentur filii uti filii, adeut ex persona propria dictam integram summam petere possent, vel potius non nisi hæreditario jure Lælii donatarii venirent; Secundò, an exclusa filiorum vocatione, adhuc tamen dicta rem isio, seu diminutio scutorum 4. m. esset nulla, & impugnabilis per ejusdem Lælii hæredes, ex ea nullitate, quæ de jure inesse dicitur in hujusmodi donationum retrodonationibus, seu cessionibus Et tertiò, an eadem concordia dici posset nulla, ex aliis nullitatum speciebus in quolibet alio contractu, vel concordia indifferenti cadentibus.

Quoad primum, quamvis in secunda, & tertia decisione, pro filiorum vocatione respondeatur, ex eo quod à regula in eisdem decisionibus admissa, super vocation s negatione, recedatur ex conjecturis, quas in proposito sufficientes adesse dictum fuit; Attamen in quarta, & quinta decisione, ab hoc recessum fuit, firmando distinctionem enunciatam, *disc. præced.* quod scilicèt non solùm ubi nulla filiorum mentio
4 facta est, ut in præsenti, certa est negativa, sed etiam ubi expressa mentio habetur, quoties illa directè non provenit à donatore, sed ab ipso sponso donatario stipulante pro se & filiis; Et licèt ab his resolutionibus recessum fuerit, attamen recessus provenit ex dictis secundo, & tertio puncto invaliditatis, canonizando in reliquis eas circa dictum alium punctum vocationis filiorum ex persona propria, adeout in Rota & Curia, ut advertitur *eod. disc. præc.* ista conclusio videatur hodie firma, ideoque sunt quæstiones potius facti quàm juris, an scilicèt adsint necne probationes expressè, vel conjecturales, dictam vocationem filiorum inducentes, tanquam per speciem limitationis regulæ negativæ, de qua dubitandum non est amplius.

Quo verò ad secundum punctum; In quarta & sexta decisionibus, quæ favore actricum ut supra *cor. Verospio*, & *Vicecomite* prodierunt, processum fuit cum conclusione, in qua tanquam magistrales, ac antesignanæ vulgò circumferuntur duæ decisiones, unà scilicet Sac. Consilii Neapoli- 5
tani, apud Franch. *dec.* 205. & altera Rotæ Romanæ apud Merlin. *dec.* 515. aliàs *dec* 44. *p.* 6 *rec.* cum concordant. relatis per Merlin. *lib.* 2. *controv.* 34. latè Venturin. *cons.* 14. cum aliis de quibus in dictis hujus causæ decisionibus; Quod scilicèt, stante quod Octavia uxor, & actricum mater se admitti curaverit ad causam, atque dictæ retrodonationis invaliditatem allegabat, cum ipsi quoque dicta promissio facta esset, ex istius deficiente consensu actus invaliditas resultaret; Quamvis in ultima decisione *cor. Vicecomite*, & in penultima *cor. Verospio*, in aliis quoque nullitatibus, de quibus infrà in tertio puncto, fundamentum constitueretur.

Ex hoc autem motivo juris, vel interesse secundarii filiorum, vel respectivè uxoris, nihil scribenti pro Benedicto reo convento, reflectendo etiam ad solam veritatem, parùm probabiles videbantur dictæ resolutiones, in quarum obsequium, etiam post finitam causam, ac refrigeratum illum calorem, qui Advocatorum intellectum alterare solet, iste captivari non potuit.

Quamvis enim admitterem tanquam veram, ac hodie absolutam dictam conclusionem, de qua apud Franch. *d. dec.* 205. à qua tanquam à fonte prodierunt aliæ decisiones, & auctoritates, ut scilicèt hujusmodi donationes contemplatione certi, & determinati matrimonii, utpotè correspecti- 6.
væ, ac pars cõtractus matrimonialis, qui aliàs sequutus non esset, etiam ex præcedenti conventione inter donantem, & donatarium, retrocedi, seù retrodonari non possunt; Attamen indaganda est hujus conclusionis ratio, ob quam prudenter, ac fundatè illa procedit apud modernos, dum in ipso corpore juris expresè non habetur, minus antiquioribus cognita est, cum altera quæstio derivata ex infra allegandis *consiliis Bartoli & Oldradi* diversos percutiat terminos.

Ratio igitur est illa, doli, & circumventionis, seu collusionis, quæ ità inesse dicitur, ut colludendo inter patrem, & filium, seu donantem, & donatarium, dolo induci di- 7
cantur mulier; ejusq; parentes, vel conjuncti ad contrahendum matrimonium, quod aliàs nullatenus contraxissent, vel saltim, non cum tanta dote; Ideoque licèt hoc interesse, quod mulier ejusque parentes, vel conjuncti habent in hujusmodi donationibus, quarum dominium soli sponso acquiritur, dicuntur secundarium, pro sola ratione pinguioris, ac decentioris substentationis, & cautelæ dotis, ac speratæ successionis, ad differentiam alterius iuris, vel interesse filiorum ad eamdem donationem directè vocatorum, quod primarium dicitur, ac propterea, tale interesse secundarium, seu causativum, durare solùm dicatur durante matrimonio, eoque soluto cessat, tanquam ex cessante causa, ut infrà; Attamen rationabiliter jam impressa nullitas, cessata etiam causa, durat, ob dictam rationem doli, & collusionis, cum actus dolosus, & collusivus dicatur ipso jure invalidus in radice, perindè ac si genus non esset. ideoque etiam ipsum colludentem non afficit, neque per dissolutionem matrimonii revalidari debet, id quod ab initio, & in in radice nullum fuit; Ac etiam quia pro commercii, & publicè fidei conservatione, expedit in hac materia ita rigorose procedere, ad hujusmodi fraudes, & collusiones compescendas, quodque ita conservetur libertas contrahendi æqualia matrimonia cum filiis familias, vel aliis, qui ex aliorum conjunctorum beneficio pinguiorem statũ sperant.

Multa siquidem in jure, præsertim apud modernos, qui ab experientia magis edocti, meliora cogitarunt, se- 8
cepta sunt, quæ de stricta juris censura, & in sensu antiquorum, diversimode procedebant; Ut inter quamplura exempla, quæ desuper deduci possent, in specie hujus materiæ matrimonialis, habemus in promissione, quam sponsus dotanti facit super renunciatione facienda per sponsam postquam ejus uxor effecta fuerit, atque ad ejus domum tradùcta, quoniam in sensu antiquorum, vir faciendo diligentias, ac simulando omnem conatum, ab hujusmodi promissione excusatus remanebat; Contrarium tamen probabilius, magisque judiciosè hodie receptum est, ex dicta ratione, quòd dicta promissio non est gratuita, sed correspectiva ad matrimonium, quod aliàs saltim cum tanta dote contractum non esset, quodque colludendo inter virum, & uxorem cum simulatis, sive affectatis diligentiis, dolo, & circumventioni locus fieret, ut in sua materia *sub tit. de Renuntiat.*

Atque in his terminis, cum hoc præsupposito præcedentis conventionis per antapocam, quæ in Regno Neapolit. *albaranum* dicitur, proceditur apud Franch. *d. dec.* 205. & 9
apud Merlin. *d. controv.* 34-34. *lib.* 2. & per Rot. *in d. dec.* 515.

Mer-

Merlini, aliàs *dec.* 44. *p.* 6. *rec.* & in aliis juxtà casus, de quibus infrà *in duobus discursibus proximè sequentibus*, atque tali casu admittebam, ut actus etiam ab ipsomet faciente, vel ejus hærede impugnabilis esset.

Ad instar eorum, quæ habentur in confimili donatione, quæ fiat contemplatione matrimonii spiritualis, promoven-
10 do ad sacros ordines ad titulum patrimonii quoniam licèt dominium bonorum donatorum ipsi donatario pleno jure quæratur, jus autem vel interesse Episcopi ordinantis, sive Ecclesiæ pro decore ordinis clericalis, sit secundarium, eo modo quo in hac donatione contemplatione matrimonii cardinalis est jus, vel interesse uxoris & filiorum attamen si talis donatio ex præcedenti colluśiva conventione retrocedatur, ob dictam rationem doli, & collusionis, retrocessio est omninò irrita, & infecta, ab ipsomet retrocedente, vel habentibus ab eo causam impugnabilis, ita à pari.

Fallacia verò evidens pro meo judicio consistere videbatur in applicatione omninò cessante, ex facti qualitate, & circumstantiis, quoniam promissio ab initio pura, ac since-
11 ra fuit, nulla penitus, nec quidem cogitata simulatione, vel retrocessionis conventione; Dictus autem subsequens actus, novam, & incogitatam habuit causam, componendi graves discordias, ac lites inter patrem, & filium exortas, idque publicè & palam, in statu optimæ fidei; Et quod magis, mediante interpositione ejus qui Principis, vel supremi Magistratus partes in ea provincia gerebat, ideoque omnis collusionis, vel doli, ac fraudis suspicio aberat, & consequenter meus intellectus percipere non poterat, quomodo dicta conclusio in suo casu vera, ad rem applicabilis esset.

Hinc proindè, quidquid aliquid indigestè dubitent, verius, ac receptum est, ut in casu regulæ, de qua supra, ut scilicèt hujusmodi donationes soli sponso acquirantur,
12 sponsa verò, ac filii procreandi, non nisi dictum jus, vel interesse secundarium pinguioris alimoniæ, & securitatis dotis, ac speratæ successionis habeant; Si ipse donatarius ex ejus occurrentiis, citrà dolum, ac præviam colluśivam conventionem ut supra, bona donata distrahat, vel obliget, tunc ad summum uxor, ac filii durante matrimonio prætendere poterunt in fructibus pro eorum substentatione, sive in sorte pro dotis cautela quamdam potioritatem, juxta ea quæ habentur infra *disc.* 5. & 6. Nullatenus verò exindè resultabit nullitas alienationis, vel hypothecæ, quodque filii non nisi cum hæreditaria qualitate patris succedentes, hujusmodi bona obtinere, vel retinere valeant, suique auctoris factum impugnare.

Si enim donatarius, cessante interesse mulieris pro restitutione dotis & lucri, ac reservata legitima filiis de ju-
13 re debita ex omnibus bonis quomodocumque obventis, potest hujusmodi bona extraneis legare, seu aliàs lucrativo titulo de eis disponere, hinc proindè nulla penitus ratio suppetit, cur vivens, ex causa onerosa, & correspectiva, vel etiam lucrativa, circa collusionem, & fraudem, facere non valeat, erga suum benefactorem ex motivo gratitudinis, & obligationis antidoralis id quod cum quocumque extraneo, ac ignoto sine aliqua ratione, vel obligatione facere posset; Ideoque cessante præcedenti colluśiva conventione, quæ dolum redolet, ac successivè nullitatem producit, Vel ex supervenienti benevolentiæ causa; Vel ex dicto gratitudinis motivo, potissimè ob cessatam necessitatem sive causam; Vel pro quando ea cessaverit, non videtur cur non possit donatarius bona fide hujusmodi donationem in toto, vel in parte donatori remittere, seu retrocedere, ut habetur in specie apud Molphes. *cons.* 11. & Capyc. Latr. *cons.* 54. *num.* 44. ubi refert ità fuisse ab eo Sac. Consilio.

Ac habemus in dictis similibus terminis donationis factę
14 contemplatione matrimonii spiritualis, promovendo ad sacros ordines, quod si aliundè provisus est, unde cesset ipsius donationis causa, sive collacto effectu post ejus mortem, sicuti prohibitus non est alienare, vel obligare bona donata ex deduct. *in Baren. sub tit. de credito*, ac in decisionibus in ea causa editis 13. *Martii* 1665. & 17. *Martii* 1666. *cor. Albergato*, ita prohibendus non est ex motivo gratitudinis, & antidoralis obligationis ejus benefactori restituere id, quod accepit ex causa necessitatis ista cessante; Multo igitur
15 magis, ac indubitanter, ubi ex causa correspectiva, id sequatur, publicè, sincerè, cum auctoritate supremi Magistratus, & ex adeò justa causa componendi lites, & discordias inter patrem & filium; Ideoque semper, ac semper in dies edocemur, nimis erroneum esse insistere in conclusionibus, ac doctrinis, eas implicitè, ac in sola littera accipiendo, sed totum punctũ esse in applicatione ad factum.

Quo verò ad oppositionem uxoris donatarii, quæ de tempore hujus oppositionis, ac à pluribus annis binuba erat, nullamque habebat actricum curam, vel administrationem, seu aliud interesse pro dotis, ac lucri restitutione; Dicentibus me, & aliis, pro parte rei conventi scribentibus, ut illud interesse secundarium, quod uxor 16
habet in hujsmodi donatione, duret solum constante matrimonio, quo dissoluto, eaque satisfacta, tanquam ex cessante causa omninò cesset, ut advertunt Molfes. *d. cons.* 11. *n.* 35. & *per tot.* Capyc. Latr. *d. consut.* 5. *num* 44. & *seq.* Rovit. *consil.* 15. *num.* 9. & *seqq. lib.* 2. & latè Dexart. *dec.* 7.

Respondetur in decisionibus, præsertim penultima, & ultima; utrobique in fine, satis adesse interesse uxoris 17
etiam soluto matrimonio, ob spem quæ sibi fuererat successionis; vel legitimæ in bonis filiarum, quæ possent matri præmori, ideoque ejus intererat, earundem filiarum esse pinguiorem.

Quando dictæ filiæ ad donationem ex dicto jure primario essent vocatæ, quodque eis defunctis, non impugnata 18
retrocessione, seu diminutione facta per earum patrem primum donatarium gravatum, adeò ut ipsi matri impugnanti obiceretur, quod non haberet jus impugnandi, neque legitimam personam standi in judicio, ex regula quod non habens interesse non est audiendus, ex deductis apud Gregor. *decis.* 118. & passim. Tunc ista responsio admitti posset, quod scilicèt ita dici posset interessata.

Sed cum dictæ filiæ nullum jus haberent ex persona propria, solumque gererent personam hæredum patris, de cu- 19
jus libero, ac pleno dominio, liberaque dispositione bona erant, non videbatur, quænam legalis, vel humana ratio suadere posset, ut hoc interesse deberet esse aptum tollere donatario illam disponendi libertatem de bonis suis, quam habebat; Si enim ista ratio vera esse, sequeretur, quod idem donatarius vivens, vel moriens, non potuisset hæc bona ex titulo oneroso, seù lucrativo alienare, seù aliàs de eis disponere, quod utique absurdum est, omnique juris dispositioni, ac rationi adversum, quoniam ita neque mulier disponere posset de dote, ob interesse viri etiam soluto matrimonio succedendi filiis, quod prorsus vanum est dicere.

Deducebantur etiam ex hac parte ea, quæ cæteris relatis habentur apud Rovitum *d. cons.* 15. & 16. *lib.* 2. quorum primum est repetitum *inter allegationes Theodor. alleg.* 42. ad probandum ut dissoluto matrimonio cesset interesse uxoris & filiorum; in contrarium verò deducebantur deducta per Theodor. *alleg.* 43. & latè Merlin. *d. controv.* 43. *lib.* 2. *ubi ex num.* 30. reprobare profitetur in specie Rovitum; Verùm id erat extrà propositum, cum percutiat di- 20
versos terminos omnimodæ resolutionis hujusmodi donationis ob cessantem ejus causam, juxtà quæstionem disputatam infrà *in Parmen. disc.* 8. *ex consil. Oldrad.* ut ibi; Id autem revera penitùs extraneum est à casu præsentis quæstionis, in qua sine dubio, neque intrare poterat favore mulieris illa æqualis acquisitio, quam in donatione facta sponso & sponsæ ponderat Barb. *cons.* 10. *lib.* 2. cum factum dirimeret omnem quæstionem.

Demum quod tertium punctum invaliditatis hujus concordiæ ex aliis nullitatis capitibus; In disputationibus habitis coram A. C. ac etiam in prima disputatione Rotali, deducta fuit per scribentes pro actrice nullitas resultans ex Æggydiana Constitutione ob minorem dicti Lælii ætatem, non obstante concessione veniæ ætatis facta per dictum Prolegatum, ex eo quod hujusmodi venia sit de Regalibus majoribus soli Principi reservatis *ad text. in l.* 1. & 2. 21
Cod. de his qui veniam ætatis, ubi DD. de quibus apud Ripoll. *de Regal. c.* 10. *n.* 4. & *seq.*

Verùm istud erat leve fundamentum, merito in prima decisione rejectum, ac etiam per eosdem scribentes post primam disputationem neglectum, quoniam Prolegatus, absente Legato, ea quæ huic competunt exerceret, ut advertitur apud Gratian. *discept.* 166. *n.* 1. *dec.* 73. *n.* 17. & *seqq.* 22
p. 5. *rec.* & *in aliis*; Legatus autem tanquam subrogatus in locum antiquæ Proconsularis Dignitatis habet exercitium omnium Regalium Principi competentium, quæ in litte- 23
ris deputationis, vel ex usu, seu observantia, reservata non sint, ut praxis docet in cusione monetarum, concessione indulgentiæ, capitalis donationis & similibus.

Clarius verò, quia justificabatur in facto, talem ibi esse observantiam etiam frequentem, ex qua resultat presumpta facultatis concessio, ut advertit Baldus (qui dicit notandum, ac menti tenendum) *in l. exemplo in fine Cod. de pro-* 24
bat. sequuntur Felin. *in cap. cum in jure peritus n.* 11. *de off. legati*, Paris. *cons.* 104. *num.* 54. *lib.* 1. Gabr. *de probat. conclus.*

3.*num*.11. Adden. *ad decis.ult.n*.11.*de consuetudine in novis*;
25 Et in specie veniæ ætatis ut deferendum sit observantiæ, nè alias contrahentes publica auctoritate decepti remaneant Odd. *de restit in integrum q*.23.*n*.40.

Potissimè ubi non agitur de concessione veniæ generalis per quam minor in omnibus major efficiatur, quo casu dubitari potest, an hujusmodi Magistratus quamvis supremi id concedere possint, quod decisionem recipit à singulorum
26 Principatuum legibus, vel moribus, ac Magistratuum qualitate, sed de habilitando minorem ad unum actum tantum, quod de communi ferè usu aliquibus majoribus Magistratibus competere solet ex iis quæ habentur apud Menoch. *cons*. 990. *num*. 16. Decian. *cons*. 20. *n*. 74. *lib*. 1. Cance. *lib*. 1. *var*. *c*. 7. *n*. 15. Cyriac. *controv*. 219. *& frequenter*; Et de dicta distinctione inter concessionem generalem, vel particularem apud Ripol. *de Regal*. *d*. *c*. 10. Accedente etiam probabili concessionis causa, cum contrahens esset satis proximus majori ætati.

Altera nullitas, in ultima præsertim decisione *cor*. *Vicecomitę*, deducebatur ex falsa causa transigendi, quæ narrata fuit, evitandi litem super donationis invaliditate à parte prætensa, ob non adhibitas solemnitates à Ducalibus de-
27 cretis requisitas quasi quod nulla lis desuper cadere posset; Vel quia dicta decreta post Status devolutionem evanuerint, utpotè in Apostolicis decretis, vel confirmationibus non contenta; Vel quia hujusmodi donatione contemplatione matrimonii solemnitatibus statutariis non subjaceāt; Verum & hoc pro meo judicio nimium leve fundamentum erat, cum, vel etiam hodie verius sit, vel saltem tunc communi opinione crederetur, ut omnia decreta Ducalia, istud in specie adhuc vigerent, ut occasione aliorum contractuum hujus Status Urbini advertitur in sua materia *sub tit. de alienat. & contractibus*, & habetur etiam in specie de isto decreto super donationibus infra *in Eugubina disc*. 35.

Et quoad aliam conclusionem, ut in hujusmodi donationibus contemplatione certi matrimonii statutariæ solemnitates non requirantur, advertebam id non esse in jure om-
28 nimo absolutum, cum apud antiquiores sub non modica quæstione sit, adeout *in Romana donationis de Silla*, de qua habetur actum *sub tit. de fideic. disc*.140. disputato hoc articulo in Rota *coram Pamphilio de anno* 1614., ob votorum scissuram, ac opinionum diversitatem, nulla capta fuerit resolutio, undè sequuta est concordia, quam firmatum est, ideò bona fide super casu dubio prodiisse, ut afficeret etiam venientes jure proprio, ut *dicto disc*.140.*de fideic*. Et quamvis moderno tempore, in Rota & Curia passim recepta sit opinio, ut solemnitates non intrent quoties agatur de donatione facta contemplatione certi, ac determinati matrimonii contrahendi, secus autem incerti, vel certi jam contracti; Non per hoc tamen dici possunt punctum esse omninò planum, ac transactionis incapacem, quodque comminata lis omninò calumniosa esset, ut in ultima decisione inculcatur; Tum quia novum non est, ut Tribunalia opiniones mutent, atque derelictis iis, quas moderno tempore retinent, ad antiquas redeant, ut in centum
29 penè quęstionibus hujusmodi mutationes præsertim in Rota habemus; Tum etiam, quia conclusio juxta dictam modernam opinionem procedit, quatenus causa matrimonii sit unica & finalis, ut advertitur *infra in Fulginaten. disc*.26.*& in Tiburtina donationis sub tit. de dote d*.17.*& alibi*.

Ac etiam quia retenta dicta opinione pro regula, adhuc limitari solet, quando Statuti verba sint adeo ampla, quod istum casum quoque comprehendere videatur, ut generaliter advertunt Surd. *cons*.361. *n*.22. Gratian. *discept*.
30 474.*n*.24.*cum seqq*.Cavaler. *dec*.354. *in fine* Andreol. *contr*. 55.*&* 67.*utrobique n*.12. Michalor. *de fratr*.*p*.1.*c*.20.*nu*.21.

Id autem ad rem adaptabile rectè videbatur, quoniam cum in hoc Statu Urbini adesset antiquum Ducale decre-
31 tum prohibens donationes absque certa solemnitate fieri, atque super eo in specie scripsisset Eugen. *cons*. 14.*lib*. 1. probando illud convenire puris, ac simplicibus donationibus, non autem hujusmodi causativis; Hinc ad hujusmodi difficultatem removendam prodiit deindè alterum decretum magis amplum, id prohibens ex quacumque causa etiam augmenti dotis, ideoque illud comprehendere etiam hanc donationis speciem, ultrà dictas auctoritates generales, advertit in specie Andreol. Doctor regionis *controv*.4. *n*.19.*& seq*. ac præsupponit Michalor Doctor pariter regionis *loco supracitato*; Undè quidquid sit de hac opinione ad effectum decidendi, negari non potest esse articulum adeò disputabilem, quod justum motivum præbere potuerit transactioni, pro qua etiam in fortioribus terminis eam substinendi in præjudicium successorum jure proprio independenter venientium, sufficere unius Doctoris opinionem pluries, Rota dixit, ut advertitur *sub tit. de fideicommissis disc*. 173. *& seqq*. & sub altero *de emphyteusi disc*. 32. *ac alibi*; Licet enim respectu tertii, vel independenter venientis, id non modicam patiatur difficultatem, ut citatis locis advertitur, respectu tamen ipsius transigentis, vel habentium causam ab eo, ac pro evitanda illa nullitate, quæ resultat ab omnimoda deficientia litis, vel ejus timoris, videtur extrà controversiam.

Accedebat etiam altera probabilis litigandi & transigēdi causa, cui decisiones præsertim ultima non respondent, quod
33 scilicet suberat prætensio resolutionis ductæ promissionis in totum, quatenus contigisset, (ut de facto contigit) dissoluto matrimonio ipso donatore superstite, juxta quæstionem disputatam infra *in Parmen*. *& Pistorien*. *disc*. 8. 17.

Ponderatur item præsertim in dicta ultima decisione *coram V*. *Comite* altera nullitas ob deficiens transactionis es-
34 sentiale requisitum, quod aliquid hinc inde datū, vel remissum fuerit, quasi quod scuta 9.m.per transactionem data essent intuitu annuæ præstationis scut. 350. ad quæ pater in causam alimentorum se obligaverat; Verum hoc motivum pro meo judicio omitti poterat, utpotè omni juris, ac facti fundamento penitus destitutum, quoniam obligatio dictæ annuæ præstationis utpotè habens causam alimentorum, erat ad dies resolubilis, quatenus matrimonii dissolutio sequuta esset, (ut ad breve tempus contingit,) ac etiam quia dictam summam si non in totum, saltem pro notabiliori parte, idem pater obtinebat à dote sponsæ, quam interim in manibus retinebat, ideoque prorsus incongruum est dicere, quod hoc respectu dari debuerit pro recompensa dicta summa scutor. 9. mil. perpetuò ac irrevocabiliter, ut clarè ad sensum; Duplicibus quoque circumstantiis accedentibus, ad nimiam evidentiam dirimentibus hanc nullitatem transactionis initæ in re clara, vel absque debita recompensa; Primò scilicet, quod promissio scuto-
35 rum 13. mil. non erat in pecunia, sed in tot bonis stabilibus ad æstimationem, atque attento more regionis, plus æstimabantur, ac majoris commoditatis erant scuta 9. mil. in pecunia seu locis montium, quàm 13. mil. in bonis stabilibus, adeout reus conventus pluries, ac pluries offerret velle dare bona ad formam promissionis integrè, dummodo restituerentur pecuniæ seu loca montium; Et secundo quia prorsus incongruum videbatur, ut concordia cum magnis diligentiis tractata per loci supremum Magistratum adeò qualificatum, qui figuram Supremi Principis in loco gerebat, atque ab eo auctorizata, neque à Lælio jam majore 25. annorum, ac J. U. D. donec vixit unquam impugnata, vel contradicta, dicenda esset collusiva & sine causa.

Et in omnem eventum, inevitabile remanebat motivum, cui nunquam contrariæ decisiones respondent, & ob quod Signatura bis rescripsit de appellatione, quod scilicet cum
36 promissio scutor. 13. mil. non esset in pecunia, sed in tot bonis stabilibus, dum impugnabatur concordia, aliud prætendi non poterat, nisi regressus ad primævum statum, reponendo omnia in pristinum, atque restituendo acceptum in pecunia, accipere bona, quæ offerebantur; Ideòq; non videbatur cui fundamento inniti unquam potuerit mandatū ab A.C. relaxatum in quantitate pro summa residuali, ac propterea ista videtur una ex illis causis, in quibus practicetur illud vulgare dicterium, *quod habent sua sydera lites*.

ANNOT. AD DISC. II.

IDem quod sequutum est in casu, de quo *disc*. *præc*. contingit fortè magis in isto, quod scilicet post diuturnam nimium dispendiosam, & erumnosam litem cum tanta resolutionū varietate Partes ex laxitudinis operatione magis quam ex motivo pacis se concordarent, adeòut utrique longè magis expediens fuisse litem non suscipere, vel respectivè petitis ab initio cedere. Et quidem in toto disputationum progressu non modicam admirationem ne dicam scandalum semper concepi, ex tot variationibus, ac dilationibus in puncto, qui pro facti qualitate, & circumstantiis in discursu ponderatis tanta dote omninò indignus videbatur; Conclusio etenim super prohibita retrodonatione in toto, vel in parte, vel alia conventione præjudiciali inter donatorem, & donatarium in hujusmodi donationibus contemplatione matrimonii, innixa non est alicui legi expressè, & claræ, cujus observantia potestati, & voluntati legislatoris magis quam rationi referenda veniat juxta ineptum quidem assumptum deductum ex *text in l*.*non omnium ff*. *de legib*. per ora pragmaticorum volitare solitum, ac practicari, ut

ti, ut præsertim patet ex casibus, de quibus *disc*.1.*& seq*. *&* 19.*de Dote, disc*.30.*de fideic*. cum plerisque similibus, & advertitur *disc*.35.*de Judic*. & alibi sæpius, sed est conclusio antiquis ignota per modernos vitiosè quidem, & irrationabiliter firmata, & vera in casu suo, quando urget ratio, cui innixa est, fraudis nempè, & collusionis ad decipiendum, & supplantandum tertium, qui alias non contraxisset; Hæc autem ratio nec quidem à longè, nec remotissimè ad rem adaptabilis erat ob circumstantias in disc. ponderatas; Et per consequens casus non videbatur, nec quidem litis initio dignus, quodque Actricum prætensio pro meo judicio claram redoleret calumniam, tam super dicto puncto, seu conclusione, super qua principales fuerunt disputationes, quam super defectu solemnitatum, seu verius legalium superstitionum omninò irrationabilium, quando cum conclusionum, ac doctrinarum superficie, ac generalitate generaliter procedatur in omni casu, non reflectendo, ut decet, ad singulorum particulares qualitates, & circumstantias, ex quibus attenta ratione, cui conclusio innixa est, regulanda venit applicatio: Ac propterea ut pluries advertitur facti potius, quam juris hujusmodi quæstiones censendæ veniunt certā, ac generalem non recipientes regulam, cum quæ semper erroneum, ac damnabile videtur more cæcorum procedere.

SPOLETANA DIVISIONIS PRO MARSUBILIA TONIA CUM FRANCISCO TONIO.

Responsum ad causam extra Curiam etiam pro veritate.

De eadem materia donationis contemplatione certi matrimonii, an remitti, vel minui valeat pro jure, vel interesse secundario uxoris vel filiorum, quamvis secundario tantum, ratione doli, vel fraudis.

SUMMARIUM.

1 FACTI *series*.
2 *De duplici quæstione cadente in donatione contemplatione matrimonii una super vocatione filiorum, & altera super invalida retrodonatione*.
3 *Sunt quæstiones diversæ diversos effectus producentes*.
4 *Vocatio filiorum importat solum quoddam fideicommissum, vel substitutionem*.
5 *Quas alienationes facere possit primus donatarius, cui filii substituti*.
6 *De eodem & quod alienatio non sit nulla*.
7 *Aliud est actum esse nullum, & aliud est non præjudicare*.
8 *Alienatio bona fide, ac citra fraudem est valida*.
9 *Secus ubi cum collusione & fraude, & de ratione*.
10 *Et cum hoc præsupposito procedunt auctoritates super dicta nullitate*.
11 *Quod ista retrodonatio esset fraudulenta ideòque nulla*.
12 *Fraus probatur ob affectatum discessum à loco domicilii*.
13 *Potest fraus probari per omnes species probationis*.
14 *Quomodo decidenda sit quæstio nullitatis, vel validitatis retrocessionis donationis contemplatione matrimonii*.

DISC. III.

1 DE anno 1602. Bernardus Tonius Canonicus Hyspelli, contemplatione matrimonii per Nicolaum ejus fratrem contrahendi cum Beatrice, donationem ei fecit aliquorum bonorum; Verum ad aliquos dies post contracta sponsalia de futuro, antequam illa de præsenti contraherentur, dictus Nicolaus accedens ad alium locum ibi proximum, coram diverso Notario, nedum dictæ donationi retrocessit, sed etiam bona propria donavit præfato Canonico donatori, absque eo quod unquam hæc secunda donatio in loco publicaretur.

Defunctis autem, tam donatore, quam donatario, exortisque post annos 60. & ultra, controversiis inter Marsubiliam, & Franciscum ejus fratrem ex dicto matrimonio procreatos, occasione divisionis bonorum paternorum, inter alia controversiæ capita, erat illud, an bona in dicta donatione contenta censenda essent de patrimonio, ac hæreditate dicti Nicolai communis patris, ut propterea æqualiter dividenda essent, vel potius spectarent ad hæreditatem dicti Bernardi donatoris, quæ ad solum Franciscū pertinebat, dictæque controversiæ decisio pendebat à puncto validitatis, vel invaliditatis dictæ retrodonationis.

Super hoc autem scribentes hinc inde in partibus, cum magno labore, ac longo apparatu, & allegationum cumulo (quod hodie data alicujus otii abundantia, etiam nimis mediocriter versatis nimis facile est) tractabant quæstionem insinuatam *duobus discursibus proximè præcedentibus*, 2
An scilicet in hujusmodi donationibus contemplatione certi, ac determinati matrimonii, vocati censerentur filii ut filii, necne, cum eadem quæstione confundendo alteram invalidæ retrodonationis *juxta decis*. *Franch*. 205. & *Merlin*. 515. cum aliis de quibus *disc*. *præc*. ita juxta frequentem pragmaticorum morem, consarcinando, ac simul confundendo auctoritates de una, ac altera quæstione agentes. Consultus igitur desuper ex parte Marsubiliæ, advertendum esse in primis Respondi, ad prædictarum, diversarumquæ quæstionum distinctionem; Alius enim est effectus resultans à prima quæstione vocationis filiorum 3
jure proprio; Alius autem resultans ab alia quæstione invalidæ retrodonationis, ob interesse secundarum filiorum, quamvis non essent vocati.

Primo enim casu, nil refert, an bona donata retrocedantur eidem donatori, vel alienentur, seu obligentur cuicumque alteri, neque intrat nullitas, quoniam tunc id importat quoddam fideicommissum, per quod sponsus donata- 4
rius gravatur restituere post mortem ejus filiis bona donata, quæ ubi non accedat expressa prohibitio hominis, non prohibetur gravatus alienare, vel obligare pro ejus jure, quod non solum importat fruitionem, vel commoditatem ejus vita durante, sed etiam, dominii ac proprietatis translationem subjectam resolutioni, quæ potest non contingere, vel 5
quia filii non nascantur, vel quia nati, patri prædecedant, unde implicita substitutio caducetur, vel quia superstites agnoscere non curent, juxta ea, quæ generaliter habentur de alienatione bonorum fideicommisso subjectorum in sua materia *sub tit. de fideicommissis*, ac etiam *sub tit. de regal*. ad materiam locorum montium, occasione agendi de satis in Curia frequenti alienatione locorum montium, fideicommissi vel evictionis vinculo subjectorum, cum ipso- 6
met vinculo; Ideòque ista prohibitio percutit omnimodam, ac perpetuam irretractabilem alienationem, & ne ista facto casu mortis alienantis afficiat filios jure substitutionis, vel successivæ donationis vocatos, ut bona vindicare valeant, non autem nullitatem, quoniam; Aliud 7
enim est actum esse illico, ac in radice ipso jure nullum ob infectionem à legis prohibitione resultantem; Aliud verò est, ut ille tertio non præjudicet: Unde propterea manifestus error est (modernis tamen collectoribus connaturalis) hujusmodi casos, vel quæstiones confundere, atque auctoritates de uno agentes, alteri applicare.

In alio eutem casu, in quo, exclusa dicta vocatione filiorum ex persona propria, eorumdem jus vel interesse secundarium solum vigeat; Et tunc, Aut agitur de alienatione, vel obligatione, sincerè, ac bona fide, citra fraudem & 8
collusionem facta, & nulla cadit quæstio nullitatis, sed solum illa præjudicii ipso matrimonio constante super alimonia, & decenti subtentatione uxoris & filiorum, ac etiam soluto matrimonio circa potioritatem & cautelam uxoris pro restitutione dotis, juxta ea, quæ habentur *infra in Romana, seu Maceraten. alimentorum discurs*. 5. ac etiam *in Romana Salviani*, cum de reliquo nihil prohibeat in donatario pleno, ac perfecto domino, illam liberam disponendi facultatem, quæ dominii connaturalis sequela est, ut habetur *discurs*. *præc*.

Ubi verò agatur de collusiva & fraudolenta retrodonatione, in toto, vel in parte, in executionem præcedentis conventionis inter donantem & donatarium, per quam in effectu probetur simulatio, seu præordinata machina- 9
tio eludendi sponsam ejusque parentes, vel dotantes, qui de hujusmodi donationibus solliciti esse solent, non in gratiam sponsi donatarii, sed in gratiam & commoditatem ipsius uxoris, & filiorum procreandorum, ac etiam ratione decoris, ut nuptiæ dicantur pares, ac dignæ, cum ad id, nedum æqualitas natalium attendatur, sed etiam illa divitiarum, sine quibus nobilitas vilescit, ac in ludibrio potius est, ut in proposito dignarum, vel indignarum nuptiarum, seu dotis congruæ, ac de paragio habetur pluries in sua materia *sub tit. de dote disc*.1.2. *&* 144.

Et tunc, licet de stricta censura dicendum veniret, ut hęc prohibitio, utpotè respiciens præjudicium tertii, istud solum reservare deberet juxta supra insinuatam hujus casus primam partem alienationis, vel obligationis bona fide sequutæ; Attamen fraus, & collusio, quæ ineffe censetur, irritant actum in radice, etiam respectu ipsius facientis, ut pro infecto haberi debeat, juxta ea, quę habemus in ter-

terminis proximis dotis confessate, ut ob fraudem à lege præsumptam actus infectus remaneat non solum respectu tertii, sed etiam respectu ipsiusmet confitentis, ejusque hæredum, ut frequenter in dicta sua materia *sub tit. de dote*, præsertim *disc.* 159. cum similibus, quæ habemus in alienationibus ipso jure infectis, quod neq; ipsum alienantem afficiunt.

Atque de hoc propriè, & ex ista ratione agunt decisiones & auctoritates, quas desuper habemus, præsertim *dec.* 205. Franchi, quæ est hujus conclusionis magistra, à qua omnes
10 aliæ derivant, præsertim supra insinuata *decis. Rotæ* apud Merlin. *dec.* 515. *repetit. dec.* 44. *p.* 6. *rec.* cum aliis infinuatis *duob. discursib. præced.* & præsertim apud Merlin. *lib.* 2. *controv.* 34. ubi scilicet concurrerent istæ circumstantiæ simulationis, ac præordinatæ machinationis, & doli ob præcedentem conventionem, & scripturam privatam, quæ ibi *albaranum* dicitur; Quamvis enim in eo casu expressè filii etiam vocati essent directè à donatore, unde propterea, jus vel interesse primarium quoque haberent, non tamen istud erat causa nullitatis, cum id solum importet præservationem præjudicii, ut supra, sed infectio proveniat à collusione, ac dolo inficiente actum in radice, ac si gestus non esset; Ideòque merito dicitur curandum non esse, an matrimonium duret necnè; Et consequenter evagatoria, ac extra propositum remanet illius Auctoris digressio super diversa quæstione tractata per Rovitum *cons.* 15. Nisi dicamus, quod fuerit color quæsitus, vel affectata occasio carpendi Auctorem adeò magnæ existimationis fortè ex quodam propriæ existimationis ambitu.

Applicando autem ad rem; Dicebam etiam in sensu veritatis, planum esse, ut versaremur in hoc ultimo casu
11 collusionis, ac fraudis, ne ita ex præordinata machinatione tertius circumveniretur, dum in ipso loco facta erat donatio ad facilitandum, & concludendum matrimonium, postquam verò illud per sponsalia de futuro conclusum fuerat, priusquam perficeretur, eo medio tempore, clandestinè, ut sponsæ ejusque parentibus atque conjunctis actus celaretur, retrodonatio in diverso loco sequuta erat; Ut de fraude resultante ab affectato accessu ad locum diver-
12 sum, ut ibi fieret actus, qui in loco consueti domicilii ita fieri non poterat, habetur *in Tyburtina donationis sub tit. de dote disc.* 17. ubi concordantes, ac etiam pluries in sua materia *sub tit. de alienationibus & contractibus*; Et consequenter licet ista donatio nunquam continens mentionem filiorum, nullaque habens verba, vel adminicula, quæ ipsorum vocationem suaderet, soli sponso facta esset, atque filii nullum jus directum, seu primarium haberent, adhuc tamen ipso jure nulla dicenda erat ex dicta ratione.

Et quamvis aliqui scribentes pro dicta retrodonatione substinenda, juxta consuetum pragmaticum morem, re-
13 plicarent, quod dictæ decisiones Franchi & Merlini aliæque auctoritates hanc nullitatem firmantes non applicarentur ad casum, eo quia non constaret de aliqua præcedenti conventione inter donantem & donatarium; Attamen ista erat contemptibilis ponderatio, quod dicta præcedens conventio per scripturam privatam sub antapocæ, seu albarani nomine explicari solita, est quidem frequentior, ac facilior species probationis, ideòque casus præbet, quod de illa magis scribentes agant, non tamen ad eam speciem id restrictum est, cum per quamcumque aliam, etiam adminiculativam probationis speciem id fieri prohibitum non sit; juxta terminos generales cujuscumque probationis simulationis, vel collusionis.

Ideòque, ut in centum penè consimilibus quæstionibus, quas super hujusmodi donationibus contemplatione
14 matrimonii, ac retrodonationibus, sive bonorum donatorum alienationibus, pro meæ forensis vitæ tempore, disputavi; Dicere consuevi quod hodie ista est quæstio potius facti, quam juris, pro facti qualitate, ac singulorum casuum circumstantiis, bonam, vel malam fidem redolentibus, decidenda, manifestusque pragmaticorum error est, procedere in sola littera decisionum, ac auctoritatum, quas desuper habemus.

ANNOT. AD DISC. III. & IV.

Dicendum venit idem, quod dictum est *disc.* 2. *prox. præc.* cum eadem cadat quæstio. Ad punctum verò de quo *disc.* 4. *ex n.* 8. cujus nam sit electio, an sit donatoris, vel donatarii, quoties incerta, vel alternata sit res donata, videnda sunt quæ habentur *disc.* 12. & 13. *de Legat.*

FOROSEMPRONIEN. DONATIONIS INTER ILLOS DE SORBOLONGO.

Responsum pro veritate.

De eadem materia donationis contemplatione matrimonii, cujus retrocessio explicitè, vel implicitè facta sit, an posito quod uxore, & filiis illam impugnantibus, talis retrocessio invalida sit, competat donatori, vel ejus hæredibus actio, vel aliud jus contra ipsum donatarium retrocedentem; Et incidenter, facta donatione de tot bonis in genere, cujus sit electio; Et an eligi possint meliora, vel deteriora.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *De punctis, vel inspectionibus.*
3 *Ubi donator expressè, ac directè vocat filios, cessat omnis quæstio.*
4 *De materia juris filiorum vocatorum, ut eis à donatore, & donatario non præjudicetur.*
5 *Taliqasu alienatio facta per primum donatarium non est nulla, sed non præjudicat.*
6 *De concursu filiorum vocatorum, & creditorum primi donatarii remissivè.*
7 *De judicio præventivo, seu de futuro.*
8 *Electio est debitoris, nisi per moram eam amittat.*
9 *In legatis in genere relictis, vel aliis dispositionibus cujus sit electio.*
10 *Præstandum est regulariter quod minus.*
11 *Secus in his donationibus contemplatione matrimonii, & de ratione.*
12 *Ista donatio dicitur pars contractus matrimonialis, & onerosa etiam respectu ipsius sponsi donatarii.*
13 *De fine, ob quem hujusmodi donationis fiunt.*
14 *Contra donatarium retrodonantem donator non habet actionem, ex eo quod uxor, & filii ex propria persona actum impugnent.*
15 *Quando secus, quodque impugnatio obstet etiam ipsi remittenti.*
16 *De materia promittentis factum alienum quando teneatur.*
17 *In conditionalibus attenditur nudum factum implementi, vel non implementi conditionis, non attento ex cujus culpa id proveniat.*

DISC. IV.

PRO matrimonio contrahendo per Christophorum fi- 1
lium primogenitum, huic & filiis ex eo matrimonio procreandis, pater donationem fecit de tot bonis stabilibus fructiferis, quæ importarent valorem scut. 15. m. Moriens aut idem pater, in testamento, scriptis hæredibus omnibus filiis, in præfatæ donationis executionem assignavit quædam bona parum fructifera, disponendo, ut idem donatarius hujusmodi bona in propriam portionem imputare teneretur, si ad æqualem successionem cum fratribus admitti vellet, sin minus, ut in eo quod ex juris necessitate debetur, censeretur institutus, adhibendo cautelam proximam illi, quam vulgò *Soccini* dicimus, pro inclusione legitimæ sub fideicommisso, & de qua pluries in suis respectivè materiis *sub tit. de fideicom.* & sub altero *de legitim. & detractionibus*; Acceptavit explicitè, vel implicitè donatarius paternam dispositionem, hæreditati cum fratribus æqualiter se immiscendo; Postmodum verò curavit per uxorem, ac filios pro eorum jure peti præfatę donationis executionem, in aliis bonis, quam assignatis, utporè non liberis parumque fructiferis, ac de deterioribus, quasi quod impugnatione non resultante ab ipso donatario, & hærede, sed à tertiis, quos prohibere non poterat, utrumque obtineri posset, sibique contraventio voluntatis testatoris imputanda non veniret; Cumque quidam qualificatus Cardinalis, defuncti patris, ac filiorum benevolus, extrajudicialiter veritatem inquirere vellet, ut cum honesto concordiæ temperamento hujusmodi controversiis finem daret, hinc desuper pro veritate super tribus consultus fui.

Primò scilicet, an uxori & filiis jus competeret, neglecta quacumque explicita, vel implicita accepratione paternæ 2
dispositionis facta per donatarium, petere dictæ donationis, exe-

executionem, ac observantiam eo modo, quo illius tenor importaret; Secundò, stãte quod dicta donatio facta erat de tot bonis stabilibus in genere, cujusnam esset electio, & sive sit unius, sive alterius, an meliora, vel respectivè deteriora eligi possent; Et tertiò, an aliis fratribus donatoris hęredibus, ob inobservantiam, sive impugnationem paternę dispositionis, jus competeret repellendi dictum donatarium ab æquali successione hæreditatis, sive agendi contra eum ad quanti interesset paterno judicio non contraveniri.

Ad primum, omninò planam, ac extra controversiam dixi affirmativam, quoniam non agebatur de donatione facta soli sponso, absque vocatione filiorum, adeòut uxor, & filii
3 haberent solum interesse secundarium, quo casu intrat inspectio bonæ, vel malæ fidei, juxta ea, quæ habentur *duobus discursibus proximè præcedentibus*, sed agebatur de donatione, expressè, ac directè facta, nedum sponso, sed etiam filiis procreandis, ita vocatis directè ab ipso donatore, non autem ex stipulatione, vel providentia eorum patris donatarii, juxta distinctionem de qua supra *disc.* 1. & 2. ideòque dicebam intrare de plano vulgarem regulam textus *in l. ille aut ille ff. de legatis* 3. quod in claris, & expressis non intrent præsumptiones, & argumenta, & successivè quicquid à præfato primo donatario gravato restituere gestum esset, filiis utpotè expressè substitutis præjudicare non poterat, ut in terminis specialibus donationis contemplatione matri-
4 monii cæteris relatis, habetur *dec.* 114. *par.* 3. *rec.* & in pluribus casibus, de quibus *sub tit. de fideic. disc.* 135. *cum plur. seq.* ubi de pluribus quæstionibus circa potestatem donatoris adjiciendi his bonis nova gravamina.

Solumque isto casu, contractus & alii actus gesti per primum donatarium, quoties ratione collusionis, & fraudis, sive ob expressam hominis prohibitionem ipso jure irriti,
5 ac invalidi dici non possunt, afficiunt, ac operativi remanẽt ipsius gravati jure durante, juxta ea quæ generaliter habentur *d. tit. de fideic.* in proposito alienationis, vel obligationis factæ per gravatum, præsertim *disc.* 171 ubi de his termi-
6 nis donationis contemplatione matrimonii in concursu inter creditores primi donatarii, & filios vocatos; Et consequenter quod ad formam donationis, bona maliora, vel non deteriora debita essent, clarum esse dixi jus filiorum; Quamvis enim illud, vivente patre adhuc apertum non esset, sed competeret in sola spe eventuali, & non contingibili, ut advertitur proximè allegato *disc.* 171. *de fideic.*
7 adhuc tamen juxta ea, quæ pluries *eod. tit.* habentur ad materiam judicii præventivi, seu de futuro, jus competit agendi, dilata tamen executione, vel effectu pro tempore facti casus substitutionis.

Quo verò ad alterum punctum, cujus scilicet esset electio, & an meliora, vel respectivè deteriorata eligi possent;
8 Respondi primam hujus pũcti partem planam esse ad favorem donatoris, vel ejus hæredum ex certo juris principio, ut debitoris præsertim non morosi electio sit, cum solum quæstio cadat in casu moræ istum effectum inter alios operanti, ut morosus privatus remaneat sibi alias competente eligendi facultate, quæ in creditorem transfundatur, text. *in l. plerumque ff. de jure dot. cum concord.* per Fab. de Ann. *cons.* 54. & 95. Buratt. *dec.* 287. Adden. ad Gregor. *dec.* 316. cum aliis in sua materia *sub tit. de credito*, unde cum in hac facti specie nulla adesset mora, plana remanebat regula favore debitoris, ideòque sola quæstio cadebat in secunda hujus quæsiti parte, an scilicet posito quod electio esset donatoris, potuissent iste assignare bona, quæ supponebatur esse de deterioribus, minusque fructiferis.

In hoc autem, ubi agitur de legatis aliisque lucrativis dispositionibus, in quibus ille, cum quo dispositum est, de lucro contendat, quamvis non levis variatio sit inter scriben-
9 tes, an optimum vel respectivè pessimum, sive mediocre præstandum sit, ad notata per scribentes *in l. legato generaliter relicto, & l. si domus ff. de legat.* 1. *§. generaliter instit. eod. tit. cum concord. relatis* per Craff. *§. legatum quæst.* 62. & latius per elaboratum, sed confusissimum Simon. de Pretis *de interpret. ult. volunt. lib.* 1. *dubis.* 3. *solut.* 3. & 4. & Capyc. Latr. *dec.* 11. Attamen ubi diversæ voluntatis adminicula, seu conjecturæ non concurrant, vera videtur distinctio, quod aut agitur de re animata, quam pessimam, seu deteriorem potius expedit non habere, quam habere, quia nempè servus, equus, vel asinus inutilis, malæque conditionis, potius damnum, quam utilitatem possessori causare videtur, & tunc præstare debeat, vel melius, vel mediocre; Aut verò agitur de rebus inanimatis, quæ etiam deteriores, valorem habent, ac utilitatem causant, & tunc sufficiat præstare deteriorem, ex regula, ut in legato, vel gratuita dispositione veniat quid minus, ex iis, quæ in proposito monetarum di- 10
versæ speciei collecta habentur apud Surd. *dec.* 298. nisi favor personæ, vel causæ aliud suadeat, ut advertitur in sua materia *sub tit. de leg.* ac etiam insinuatur *sub. tit. de dote*, & alibi; Et hoc stante videbatur primo aspectu pro hæredibus donatoris respondendum esse, dum agebatur de promissione bonorum stabilium, & sic de rebus inanimatis, quæ licet parum fructifera, valorem tamẽ in summa specificata habebant, easque expediebat magis habere, quàm non habere.

Contrarium tamen dixi probabilius mihi videri, ut scilicet ex verisimili contrahentium voluntate, ac etiam ratione subjectæ materiæ, si non omninò de melioribus, attamen 11
neq; de deterioribus, sed de mediocribus, autem partim ex una, partim ex altera specie assignatio deberetur; Tum quia hujusmodi donationes, quæ occasione matrimonii uni ex filiis per patrem fiunt, importare videntur quandam assecurationem futuræ successionis, utpotè quodammodò succedentes loco portionis hæreditarię ita in tuto posite, & consequenter intrare videntur termini divisionis, seu familiæ erciscundæ, & æqualitatis in ea servandæ; Tum etiam quia ista videtur dispositio potius onerosa, & correspectiva, quã merè gratuita, Vel quia dicatur pars contractus matrimo- 12
nialis proveniens ex conventione potius cum sponsa, vel ejus parentibus, juxta deducta *disc. præc.* Vel etiam quia respectu ipsiusmet sponsi donatarii dicatur ex causa onerosa, dum eo intuitu se subjecit oneribus, ac vinculo matrimonii, ut apud Menoch. *cons.* 236. *n.* 8. 15. & 26. Castill. *lib.* 4. *controv. cap.* 5. *n.* 29. & *seq.* apud quos cæteri.

Et fortius ratione subjectæ materiæ, quoniam, ut pluries in præcedentibus advertitur, de hujusmodi donationibus etiam in casu, in quo dominium bonorum donatorum soli 13
sponso quæratur, sponsa, vel ejus parentes, & conjuncti solliciti esse solent ob pinguiorẽ, ac decentiorem substentationem onerum matrimonialium, id autem principaliter respicit fructus, seu redditus magis, quam sortem principalem, ideòque bona ad oblectamentum, ac delitias, seu alias, nihil, vel parum fructifera, extra verisimilem contrahentium voluntatem, sunt; Clarius verò in hac facti specie, in qua expressè dictum est dari debere tot bona fructifera, ita spectato effectu, seu fine, ob quem ista conventio sequuta est, ac propterea intrare deberet judicis officium, ut non de melioribus, neque de deterioribus, sed juxta dictam proportionem divisionis portionum, vel juxta alteram detractionis legitimæ id sequi deberet.

Demum quoad tertium, & ultimum quæsitum; Quando sponsus ex gratitudinis, vel affectionis motivo, simpliciter, & gratuitò donationem retrocessisset, seu alias ejus implementum diminutè acceptasset, licèt actus per alios interessatos impugnabilis esset, non tanquam nullus, sed tanquam non aptus præjudicare tertio, jure suo, ac independenter 14
venienti, juxta pluries insinuatam distinctionem; Tunc nullam dixi competere posse actionem contra ipsum remittentem, seu alias sibi præjudicantem, quamvis ipso volente, vel excitante, alii interessati actum impugnarent, cum censeatur quod illum actum egerit pro solo ejus jure, & interesse, potius abstentivè, seu negativè, renunciando proprio favori; unde propterea, si proximè vocatus ad fideicommissum, vel feudum, sive emphyteusim, suum jus in toto, vel in parte remittat, sive consensum præstet possessori alienãti, non poterit quidem ipse impugnare actum, sed si ejus filii tanquam successivè vocati impugnent, nullo jure cautum est, ipsum ad aliquid teneri, nisi eorum factum quoque promiserit, juxta ea quæ *sub tit. de renunc.* & sub altero *de successionibus* habentur de muliere renunciante alicui hęreditati, vel successioni, ut id non impediat ejusdem renũciantis filios venire ad successionem ex persona propria, neque exindè contra ipsam aliqua competere debet actio, nisi lex conventionis aliter suadeat.

Quamvis autem hæc vera sint, attamen in hac specie, dicebam ea non benè ad rem facere, seu applicari, quoniam non agebatur de aliqua actione contra ipsum donatarium remittentem in toto, vel in parte jus donatum, ut de proprio 15
donatori reficere teneretur id, quod interesset remissionem, vel diminutionem effectum sortiri, ac per alios interessatos non impugnari, sed agebatur de repellendo eumdem, ne commodum æqualis successionis in hæreditate reportaret, cum suspicione doli, & collusionis inter virum, & uxorem, seu fratrem, & filios, juxta illud simile insinuatum supra *disc.* 3. de promissione facta per sponsum renunciationis faciendæ per sponsam, quoniam licèt regula sit, ut promittens 16
factum alienum, ad illud præcisè non teneatur, minusque ad interesse, sed faciendo diligentias, liberetur, nisi clausula

ita

1 *ita quod &c.* seu alia iex conventionis aliter suadeat, ut *sub tit. de credito*, ac sub altero *de renunc.* & alibi, attamen isto casu id recipiendum non est, quoniam talis promissio correspectiva dicitur ad matrimonium alias non initum cum ipso viro, seu non cum tanta dote; Ac etiam quia de facili locus fieri posset fraudibus, ac dolo, colludendo inter virum & uxorem, ac affectatè simulando diligentias, ut ita obtineatur tam pinguis dos intuitu futuræ renunciationis constituta, quam hæreditates, & successiones, de quarum renunciatione conventum est, ita à pari.

Ac etiam quia donatoris voluntas ad æqualitatem inter filios servandam, ita clara fuit, eatenus filius donatarius ad æqualem successionem admitteretur, quatenus donatio sibi,
17 ejusque filiis facta adimpleretur, juxta formam ab eo præscriptam, quæ proindè videtur conditio sub qua dictus donatarius æqualiter cum aliis institutus fuit, unde propterea intrat recepta propositio, quod in conditionibus spectatur nudum factum implementi, non curato, an culposè vel casualiter illud non sequatur, & an facto ipsius, cum quo dispositum est, vel facto tertii, sive à casu, cum id attendatur, quando agatur de dispositione modali præseferente pœnam privationis, seu amissionis juris quæsiti, non autem ubi de dispositione conditionali pro emolumento quærendo, ex deductis *sub tit. de fideic. disc.* 154. & alibi pluries; Igitur hæc substantia voluntatis attendenda est, ut scilicet præter testatoris intentionem, isti filii plus non assequantur, ideòque dicebam non intrare actionem, sed benè exceptionem, ut scilicet primus donatarius ab hæreditate id minus assequeretur, quod intererat paternam dispositionem impugnari, ac non observari.

ROMANA
SEU MACERATEN. ALIMENTORUM
PRO
UXORE ET FILIIS THEODORI CECOLINI
CUM CAMERA.

Casus disputatus coram Thesaurario, & resolutus, cum temperamento.

An in bonis donatis sponso contemplatione certi matrimonii, sine vocatione, vel jure primario filiorum, isti, ac uxor pro eorum alimentis potioritatem habeant adversus ipsius donatarii creditores.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *Quod donatarius validè alienet, vel obliget bona donata contemplatione matrimonii; ubi non adest fraus collusiva.*
3 *De concursu filiorum natorum ex matrimonio, & creditorum sponsi donatarii.*
4 *Quod uxor, & filii in fratribus debeant vincere creditores.*
5 *Non prohibetur quis alienare bona, in quibus alter jus habet.*
6 *Respondetur ad casum, in quo ut n.2. contrarium decisum est, & quando una, vel altera opinio procedat.*
7 *In decernendis alimentis uxori, & filiis ex bonis donatis quale tempus attendi debeat, & an status de tempore matrimonii.*
8 *Debita uxoris contracta post matrimonium, non præjudicant viro in fructibus dotis matrimonio durante.*

DISC. V.

1 Contracto matrimonio inter Theodorum Cecolinum, & Lucretiam de Ugnis, Alexander Theodori pater, contemplatione hujus matrimonii, donationem fecit de aliquibus bonis, quorum fructuum loco, ipso vivente, pro congrua onerum matrimonialium substentatione, præstare se obligavit menstrua scuta 100. Cum autem postmodum idem pater, & filius ob susceptam Marchie Thesaurariam Generalem, debitores effecti essent in satis notabili summa Cameræ Apostolicæ, quæ omnia eorum bona sequestravit, sive sub executione posuit, unde propterea dictæ mulieri, ac filiis matrimonio procreatis, de congrua & decenti substentatione consultum non remanebat, hinc coram Thesaurario Generali per ipsos petitum fuit ex fructibus bonorum sequestratorum dictam menstruam portionem assignari.

Adversus hujusmodi petitionem replicabant Camerales,) & benè) quod hæc donatio, seu promissio facta esset soli sponso, non autem uxori, & filiis, qui proindè nullum dominium, vel jus, quod nostri primarium dicunt, eis quæsitum fuerat, quod solum quæsitum erat ipsi sponso donatario, qui debitor erat non fraudulenter, & collusivè, sed bona fide, & ex causa correspectiva ut supra, unde propterea 2
intrare non poterat illa nullitas, quæ in hujusmodi donationibus etiam ob istud secundarium interesse uxoris, & filiorum, intrat in fraudulentis, & collusivis retrodonationibus, juxta distinctionem, de qua supra *disc.* 2. & *seqq.* Et successivè quod potior esse deberet conditio creditorum patris, quam illa filiorum concurrentium pro alimentis, quæ per patrem divitem, ac idoneum de ejus bonis præstanda sunt, non autem per obæratum, seu minus idoneum, quoniam ita essent præbenda alimenta filiis non de bonis patris, sed de illis creditorum, ut in his terminis concursus filiorum pro alimentis in hujusmodi bonis donatis contemplatione matrimonii, ad quam etiam ipsi filii vocati sint, advertitur *sub tit. de fideic. disc.* 171.

His tamen non obstantibus, etiam cum sensu veritatis, scribens pro actoribus dicebam probabilitatem eis assistere, quod scilicet hujusmodi bona priusquam Camerę pro dicto posteriori debito affecta essent, ex eadem ratione insinuata *d. disc.* 2. & *seqq.* & in aliis occasione prohibitę retrodonationis, vel diminutionis, ob istud solùm interesse secundarium, jam affecta erant uxori, & filiis procreandis pro pinguiori, ac decentiori substentatione onerum matrimonii, quod alias absque hac provisione, & securitate contractum non esset; Et consequenter quamvis juxta supra insinuatam distinctionem, hujusmodi bonorum alienatio, vel obligatio, citra fraudem, & collusionem prohibita non esset, attamen intelligitur pro eo jure, quod debitor habet sine præjudicio juris tertio competentis, eo modo, quo dominus bonorum, quæ servitutem, vel onus alteri debeant, non prohibetur 5
illa alienare, vel obligare, salvo tamen jure tertii, cui servitus, vel onus debetur, ut ex Bombin. *cons.* 59. *n.*16. & Gratian. *discept.* 924. *n.*34. *cum seqq.* atque in his specialibus terminis benè probat Rovit. *cons.* 88. *lib.*2.

Neq; his obstare advertebam ea quæ habentur *d. d.* 171. *sub tit. de fideic.* pro creditoribus contra filios donatarii; Tum quia de tempore quo hæc disputatio habita fuit, non 6
prodierat ultima resolutio creditoribus favorabilis *cor. Bourlemont*, sed benè prodierat prima ibi enunciata resolutio *cor. Meltio* ad favorem filiorum contra creditores, unde propterea illam, ejusque fundamenta deducebam; Tum etiam quia diversus est ille casus, in quo donatio consistit in quantitate, ad cujus restitutionem (præsupposita etiam filiorum vocatione) primus donatarius non nisi post mortem tenetur erga filios, quatenus superessent, ideoque ejus, pendente conditione, nullum jus competebat; Et nihilominus quando donatio consisteret in bonis fructiferis, adhuc in eo casu difficultatem habebam, ut ibi advertitur.

Agnoscentes Camerales soliditatem motivi, quodque illud congruam non reciperet responsionem, se restringebant ad quantitatem, quam satis modicam sufficere asserebant, stantibus etiam fructibus dotis, qui de bonis viri quoque dicuntur, atq; in hujusmodi substentatione in calculo ponendi sunt; Ejcebant etenim, quod cum dicti vir, & socer, seu respectivè pater, & avus, ob dictum grave æs alienum prioris mulieris status notabilem mutationem passi essent, substentatio ejusdem uxoris, & filiorum facienda non erat pomposè, & cum priori decore, sed proportionatè ad deterioratum statum viri, atque super hoc fuit major disputatio sopita cum eo concordi temperamento, quod in quæstionibus cum fisco frequentius amplecti oportet; Verùm improbabilem dicebam hanc prætensionem, 7
quoniam ' cùm hujusmodi conventiones, ut dictum est, correspectivè sint ad contractum matrimonialem alias non sequendum, nisi sponsa, ejusque parentes, vel conjuncti de eo decenti statu ita tuti redderentur, hinc proindè illud tempus attendi debet ad formam conventionis, non quid postea ex facto debitores, absque culpa creditoris sequutum sit; Quemadmodum etenim, ut advertitur in sua 8
materia *sub tit. de dote*, debita post matrimonium contracta per mulierem non præjudicant viro, & filiis, constante matrimonio, super fructibus ipsius matrimonii substentationi destinatis, quamvis ipsa bona in sorte principali affecta sint, non attento quod ipsius mulieris conditio ob debita, deterior effecta sit, ejusque status immutatus, ita a pari.

AN-

ANNOT. AD DISC. V.

De concursu filiorum pro alimentis cum creditoribus in patrimonio parentis defuncti habetur quoque actum *sub tit. de fideicomm. disc.* 170. & *seqq.* ac videantur deducta per Rot. *dec.* 265. *p.*12. & *dec.* 87. 447. & 482. *p.*14. *rec.*

ROMANA SALVIANI
PRO N. SALVIANO
CUM N.

Casus disputatus coram A. C.

An in bonis occasione matrimonii donatis per virum, vel viri patrem filiis ex eo matrimonio procreandis, cum donatione in ipsomet instrumento dotali facta mulier pro restitutione dotis actionem, ac potioritatem habeat in concursu filiorum quibus donatio facta est.

SUMMARIUM.

1 *Facti series.*
2 *An hypotheca dotalis incipiat à die capitulorum matrimonialium, vel matrimonii.*
3 *An promisso de donando importet donationem.*
4 *De privilegio dotali super præsumpta anterioritate, & de privilegio Rei & possessoris in pari causa.*
5 *An mulier pro dote vincat creditores anteriores viri in bonis donatis contemplatione matrimonii.*
6 *De potioritate in donatione propter nuptias.*
7 *Ut intret potioritas in casu, de quo n.*5. *& de ratione.*
8 *De privilegio potioritatis dotis in bonis postea quæsitis.*
9 *Quod tutior sit opinio, de qua num.* 7.
10 *De potioritate creditorum socialium in bonis societatis.*
11 *Quod non intret quæstio in casu præsenti.*

DISC. VI.

1 In eadem apoca dotali, in qua mulier vidua se ipsam dotando promisit dotem in quantitate investiendo Paulo Sfortiæ futuro viro, promisit iste facere donationem filiis, ac descendentibus ex eo matrimonio procreandis, cum ordine primogenituræ deferendam, tot bonorum, quæ redditum scut. 4. mil. constituerent; Cum autem soluto matrimonio per mortem mulieris, ac viro etiam postmodum defuncto, filia primi matrimonii obtinere deberet lucrum dotale à matre sibi restituendum, hinc tanquam creditor, exercendo jura sui debitoris, judicium in Salviano interdicto coram A.C. instituit ad quędam bona dicti Pauli possessa per Salvianum titulo dotis tanquam virum filiæ ejusdem Pauli; Cumque in dicta dote, ac respectivè de evictione legitimè obligatus esset Franciscus dicti Pauli filius primogenitus, qui reo convento assistebat, excipiendo de præfato credito sibi competente ex causa factæ donationis, seu primogenituræ; Hinc assumpta fuit anterioritatis quæstio inter dotem, ac donationem prędictam utpotè in eadem apoca dotali contentas & consequenter contemporaneas, super quo plures à scribentibus hinc inde excitatæ fuerunt quæstiones; Ex hac scilicet parte rei conventi, pro quo scribebam, an hypotheca dotalis desumenda esset à die capitulo-
2 rum matrimonialium, vel prorsus à die matrimonii, de qua quæstione habetur *sub tit. de dote disc.* 78. 79. & 166. Et è converso ex parte actricis excitata fuit altera, de qua infra
3 insinuata etiam *sub tit. de fideic. disc.* 138. an promissio de faciendo donationem, ex tunc importet obligationem perfectam, atque hypothecam producat; Et posito quod utraque obligatio ex tunc perfecta esset, undè propterea contemporaneè ab eadem apoca oriretur æqualiter hypotheca contenta in obligatione Camerali, pro ejusdem apocæ observantia adjecta, an intraret, necnè vera & recepta re-
4 gula, de qua *sub tit. de credito*, ut in pari causa potior sit conditio Rei, & possessoris, vel potius dos aliquod habeat privilegium potioritatis; Atque in sensu etiam veritatis dicebam nullum de super privilegium doti competere.

Licèt enim inter ejus privilegia illud numeretur, quod concurrentibus pluribus debitis contemporaneis, eadem die contractis, non constito quale sit anterius; & quale posterius, dotale anterius præsumatur, & consequenter non intrat dicta regula, quæ in pari causa reo & possessori assistit, attamen id non provenit, quia dotale privilegium præfatam regulam cessare faciat, sed quia dicta presumptio tollit æqualitatem, quæ est fundamentum regulæ, ac propterea, ubi constat de contraria veritate, cui semper fictio, seù legalis præsumptio cedit; quod scilicèt verè utrumque creditum sit contemporaneum, corruit favor dotis tamquam ex cessante præsupposito, ut advertitur in sua materia *sub tit. de dote d. disc.* 166.

Occasione autem istius quæstionis; cogitabam ad punctum, pluries in mente habui, in his tamen disputationibus per scribentes pro actrice non tactum, & quem adhuc oc- 5
casio non præbuit formiter disputare; An scilicèt in bonis donatis contemplatione certi & determinati matrimonii, (quorum, juxta regularem naturam, dominium soli sponso donatario acquiratur, absque filiorum vocatione jure proprio,) mulier pro dotis restitutione potioritatem habere debeat adversus creditores anteriores viri, expressam hypothecam habentes, contra quos extra controversiam est in foro privilegium potioritatis proveniens ex dispositione text. *in l. assiduis C. qui potior. in pign. habeantur*, non intrare.

Quamvis autem *Innocentius*, & ex eo Abbas *in cap. ex litt. de pign. n.*9 cum quibus pertransit Negusant. *de pign.* 4. *memb.* 2. *par. n.*65. ex quo remissivè Apont. *cons.* 80. *n. fin. li.* 1. 6
& plenius referendo Innoc. Abb. & Negus. *ubi sup.* ac alios Cutell. *de don. contempl. matr. tom.* 2. *disc.* 1. *special.* 15. *n.* 15. & 16. firment mulieri agenti pro restitutione dotis competere potioritatem super bonis comprahensis in donatione propter nuptias, distinguendo, an ad hanc recurrat pro dotis recuperatione, & cautela, vel potius pro lucro, ut primo tantùm casu, non autem hoc secundo potioritatis privilegium obtinere debeat; Non tamen hæc doctrina punctum percutere videtur, cum agatur de illa donatione propter nuptias hodie antiquata, quæ juxta terminos textus in *auth. dos data toto tit. C. de don. propter nuptias* per virum uxori fiat, qui termini sunt diversi, dictique Auctores procedunt cum præsupposito potioritatis pro dote jam competentis, non autem pro lucris, unde solum excitatur quæstio, an in hujusmodi bonorum specie lucra aliquod haberent peculiare, ideoque verè extra punctum.

Quatenus igitur ad hunc præcisum punctum pertinet; Credebam pro mulieris potioritate probabilius respondendum esse ex duplici fundamento; Primò scilicet rationis in- 7
sinuatæ *disc. præc.* quod cum supponatur quod hæc bona non essent ipsius viri, & consequenter ut tempore donationis ejus hypothesis affecta non essent, sed obvenirent à sponsi patre, vel altero donante, non ex solo motivo benevolentię erga donatarium, sed correspectivè ad matrimonium, quod alias initum non esset, & sic in gratiam tertii, nempè uxoris, & filiorum, ac etiam dotantis, pro illo jure vel interesse, quod dicimus, secundarium, quale non solum consistit in decenti, ac pinguiori substentatione, sed etiam in dotis cautela, quia scilicèt mulier cum viro ita magis idoneo effecto, tuta reddatur, juxta satis notas auctoritates, de quibus pluries *in præc.* Hinc proinde quando bona efficiuntur de dominio viri, jam ex precedenti conventione inter mulierem, sed dotantem, ac donatorem, impressam habent dictam causam, seu obligationem, & successivè sub creditorum donatarii hypothecis non cadunt, nisi ita qualificatè, & cum dicta causa, quæ licèt sit in tempore posterior, attamen, utpotè proveniens à tertio non debitore potior est, juxta illam potioritatem, quam creditores defuncti vel donatoris, quamvis posteriores, vel chirographarii tantum, habent adversus anteriores, & privilegiatos creditores hæredis, vel donatarii, Sive juxta illam potioritatem, quam habeant mutuantes ad rem emendam, ubi sibi consulant de speciali hypotheca in ipso instanti acquisitionis per prius imprimenda, ob dictam rationem, quod sub hypothecis anterioribus, bona cadunt jam dicta qualitate affecta, unde propterea mihi videbatur indubitatum, quamvis cautius esset, ut id exprimatur, quoniam ita mulier pro dotis cautela, non viri, sed donatoris fidem sequi dicitur, ut benè, quamvis incidenter advertit Rovit. *super pragm.* 1. *de titul. abusu n.* 169. *circa principium*.

Alterum videbatur fundamentum resultans ex privilegio potioritatis, quod juxta unam opinionem, quam aliquando sequuta est Rota, (quamvis pro meo judicio parum proba- 8
biliter) datur doti in bonis postea quæsitis ex iis, quę habentur deducta in dicta sua materia *sub tit. de dote disc.* 166. & 83. & 84. quamvis enim in aliis bonis indifferentibus, de quorum obventionis diversa causa constet, adeout non intret presumptio, quod ex ipsa dotali pecunia acquisita sint, ista opinio nullatenus placet, ut locis mox allegatis advertitur; Attamen ex eadem ratione, ob quam illa recipienda venit, quando dicta præsumptio intret, in hac bonorum specie omnino recipienda videtur, quinimò fortius, cum

non